



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **QUO AMORE** SINITUR EPISCOPUS SIEDLCENSIS IMAGINEM BEATAE MARIAE VIRGINIS

REDIMIRE QUAM POLONUS POPULUS IN TEMPLO

«WOLA GUŁOWSKA», IN DIOECESIS SIEDLCENSI VENERATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quo amore quaque veneratione in Deiparam Virginem Mariam filii feramur, sub cuius tutelam non modo primaevum sacerdotium atque rode episcopatum tradidimus, sed etiam summum Pontificatum, id profecto et Poloni fideles iam noverunt, et fere Ecclesia Christi tota. Qua re libenti et aequo animo ea omnia fieri patimur, ex quibus honor, decus, gloria maior in beatissimam Virginem manet, ac per illam in Christum, eius Filium, redundet. Cum ergo Venerabilis Frater Ioannes Mazer, Episcopus Siedlcensis, suo suique populi nomine iam ab hac Apostolica Sede petierit ut imago veneranda beatae Mariae Virginis, quae in templo «Wola Gułowska» Ordinis Fratrem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in sua dioecesi, summa fidelium pietate colitur, cuiusque documenta bonitatis erga filios tot exstant, pretioso diademate redimire posset, Nos, rati posse tantae Virginis religionem, si res concedatur, ceuflammam ali et augeri, quam aequissimo animo postulatis concedimus. Placet ergo Venerabilem Fratrem Ioannem Mazur, quem supra memoravimus, vel quem ipse legaverit, quo die velit imaginem beatae Mariae Virginis in templo «Wola Gułowska» veneratam, nomine et auctoritate nostra redimire pretioso diademate inter Missae sollemnia, et ea quidem caerimonia atque sollemnitate, qua Deum omnipotentem eiusque castissimam Matrem honorari addecet. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum quod agimus felix, faustum, fortunatumque sit, cum sacro Siedlcensi Antistiti tum eius dioecesi universae. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Novembris, anno MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana
